

01
A
6630

154.

146e

147

DE

VSV HERMENEVTICO
LOCORVM PARALLELORVM

QVI EXEMPLIS EX V. T. PETITIS
ILLVSTRATVR.

EX AVCTORITATE

AMPLISSIMORVM PHILOSOPHORVM IN REGIA FRIDERICIANA

PRAE S I D E

GEO. IOAN. LVDOV. VOGEL A. M.

AMPLISS. PHILOSOPH. ORD. ADIVNCTO

A. D. XIV. M. AVGYSTI CICIO CCLXIX.

FVBLICE DISPVTABIT

CHRISTIANVS GVILIELMVS STELLWAGEN

FRISO — ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

CHRISTIANUS GATHENIUS STELLWAGENS

TRICUS - GRISSEWITZ

HALLAE AD SAVAM VEL MUNDINUM

FOCORVM PARALLELOVM
GVL EXEMPLIS EX H. P. F. T.

IMAGINARIA

EX LIBRIS V. L. K. T.

ARMATISSIMVM IN R. A. S. D. B. I. O. M.

GEOR. IOAN. LIUDOL. COELEST.

ALIAS. EPIPHANIA. Q. C. M. L. I. S.

A. O. T. V. M. V. A. G. S. C. C. H. I.

MARIBORI BIBLIOTHECA

AS A HABITACO

VIRIS
SVMME ET MAXIME VENERABILIBVS AMPLISSIMIS
DOCTISSIMIS
DOMINIS
IO. LVDOVICO LINDHAMMER
PRINCIP. FRISIAE ORIENT. SVPERINTENDENTI SPECTATISSIMO
COLLEGII ECCLESIASTICI MEMBRO AMPLISSIMO
ECCLESiarVM SCHOLARVMQVE EPHORO LONGE GRAVISSIMO.
AT QVE
ANDREAE ARNOLDO GOSEL

SENATVS ECCLESIASTICI CONSILIARIO SPECTATISSIMO
SCHOLARVM INSPECTORI DIGNISSIMO
ECCLESIAE AVRICANAЕ PASTORI VIGILANTISSIMO

NEC NON

GVSTAV. RVDOLPHO BRAWE

CONSISTORII ECCLESIASTICI ADSESSORI GRAVISSIMO
INSPECTORI DIOECESEOS AVRICANAЕ MERITISSIMO

AT QVE
VERBI DIVINI FIDELISSIMO MINISTRO.

DENIQUE

IO. ANTON. GVNTERO
STELLWAGEN

DIOECESEOS NORDANAЕ INSPECTORI

ET

ECCLESIAE QVAE NORDAE EST, PASTORI VIGILANTISSIMO
PARENTI OPTIMO DILECTISSIMO.

VIRIS

VIRTUTIS ET ERVDITIONIS NOMINE CLARISSIMIS
MAECENATIBVS SVIS AETERNV M COLENDIS

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

CHRISTIAN. WILHELM. STELLWAGEN.

Non facile quemquam esse spero qui meum hoc consilium reprehendat, quod, cum huius scriptionis academicae occasio mihi sit data, de vsu hermeneutico locorum parallelorum, vtpote loco, de quo in omnibus compendiis hermeneuticis agitur, potius quam de re, quae nondum satis sit tractata, dicere instituerim, idque eo minus, si caussam huius consilii indicauero. Maxime laudabilis illa diligentia, quam multi Ornatissimorum illorum Iuuenum, qui in hac *Fridericana* disciplinis theologicis dediti sunt, sacrarum litterarum studio impendunt, me impulit, vt hoc eorum studium, quantum in me est, adiuuarem. Saepe tum in exercitationibus quas cum erectionibus ingenuis in interpretandis quibusdam libris sacris V. T. habui, tum in priuatis colloquiis aut ex dubiis quibusdam, aut interpretationis conaminibus quae alii mihi obtulerunt, experientia sum edoctus, eos in delectu locorum parallelorum, quid! quod nimio eorundem vsu crebro errare, si brevia itaque de adhibendis illis praecepta darem, tempus atque chartam non perditurum me existimabam. Cogitanti mihi, qua ratione optime eorum *vsum* possem exponere, praeceteris arrisit ea, secundum quam *quid & cuius generis* sint loca parallela explicarem; deinde *regulas* atque *cautiones* in eorum vsu adhibendas adderem, hasque *exemplis* illustrarem. Quod ex V. tantum Testamento loca adduxi, quibus id quod vellem demonstrarem, ea caussa fuit, quod et illa loca maxime essent illustria, et ad interpretationem totius scripturae sacrae haud parum momenti haberent; deinde neque limites huius libelli tulerunt, vt ab mea ratione semel instituta recederem.

A

§. I.

2

§. I.

Locorum parallelorum nomine comprehenduntur, aut voces atque distinctiones aut sententiae vel eadem vel similes, aliis in locis sive eiusdem scriptoris sive alius cuiusdam, obuiæ. Solent qui de vsu hermeneutico locorum parallelorum in interpretando Nouo Test. agunt, tria agnoscere parallelismi genera, proximum scilicet, minus propinquum et remotius. Iustum esse hanc τεχνητικον, et omnino admittendam quisque facile dabit, qui cogitat, duos pluresue scriptores qui rem aliquam tractant, vel verbis similibus vtuntur, etiam si sunt eiusdem classis, sibique simillimi, tamen differre, cum v. g. alter cum quibusdam verbis has coniungere soleat ideas, alter alias; vt itaque si eadem vox, dictio, seu sententia in eodem scriptore offendatur, genus adsit parallelismi proximi, si in diuersis sive sit aliis quidam scriptor sacer N. T. sive ex Interpretibus græcis V. T. minus propinquus; si tandem in Scriptore aliis classis, (profani) remotioris. Etsi haec tripartita diuisio tantum de N. T. valere videatur; forte tamen de V. T. libris etiam dici poterit, si scilicet, qui in N. T. dicitur parallelismus remotior, quum extra collectionem librorum V. T. vt nemo nescit, nulli profert libri hebraicæ, de ceteris linguis orientalibus sive chaldaicis, syriacis et arabicis scriptis capiatur. Adeisse autem in V. T. parallelismum proximum et minus propinquum, vel me non monente, omnes norunt.

§. II.

Horum trium generum duplex iterum datur species, alia sunt loca parallela *verbalia* alia *realia*. *Verbalia* dicuntur, in quibus idem *verbum*, eademne *dictio*, quid! quod oratio iisdem verbis repetita, occurrit; *realia* autem in quibus eadem *sententia* aliis verbis est proposita. Hanc posteriorem parallelismi speciem iterum diuidere poteris in *nitionum* atque *propositionum singularium* et in *orationum* seu *narrationum integrarum*. Hacc de diuersis locorum parallelorum generibus atque speciebus, iam de regulis et cautionibus in eorum vsu adhibendis.

§. III.

§. III.

Prima autem lex nostra haec esto: *Si inest loco, qui tractatur, verbum quoddam, non ubiuis obuium ideoque non valde notum; nec eius generis, ut res aut orationis nexus primo intuitu sensum illum, quem suggesterunt Lexica, illi non posse non subesse demonstraret, conferenda sunt loca parallela, et quo sensu, aliis in locis, illud veniat, examinandum.* Iustum atque aequum esse hanc praeceptionem omnino existimo, tironibusque valde commendandam, cum a nimio loca parallela colligendi studio alios auocet, alios ab omnimodo neglectu. In vtramque enim partem solet non sine damno offendit. Qui ea plane negligunt, non possunt non grauiter saepius errare, quum notiones verbis rariobus in Lexicis tributae multoties, aut perperam iis tribuantur, aut non omnes. Ut prioris generis exemplo vtar, adferam ex Pf. 2, 1. verbum רגשׁ quod secundum Lexica valet, *cum strepitu concurrere, tumultuari.* Est illud ex rariobus, non nisi duobus aliis locis obuium, Pf. 55, 15. et 64, 3. Ferre posse videtur locus Pf. 2. sensum *tumultuandi*, si parallelissimus vf. 2. non attendatur; quod si autem reliquum par locorum conferatur, et membrorum parallelissimus examinetur, facile patebit eundem in illo non quadrare, sed potius nomen רגשׁ vel רגשה, ex parallelismo nominis רגשׁ vtroque in loco in primo membro extantis, verti debere *consilium*; indeque verbum רגשׁ significare *confilia capere*; quae interpretatio, si conferetur vf. 1. et 2. Pf. 2. multum praे communi sese commendaturam esse speramus. Dixi porro: saepius quoque *non omnes notiones vocabulis rarioribus in Lexicis esse tributas*; hoc vt exemplo demonstrem, dabo nomen רומיה Pf. 22, 3. 39, 3. 62, 2. In Lexicis vertitur *silentium omnino*; quadrat haec significatio in Pf. 39, 3. propriamque esse huius nominis, etymologia docet. Verum enim vero quod ad Pf. 22, 3. et 62, 2. attinet non potest non significare, *leuamen, sedatio*; et tamen abest hic sensus ab Lexicis. Sufficiant haec exempla ad monendum tirones ne acquiescant semper in significacionibus quae a Lexicis suppeditantur, et ne loca parallela in difficilioribus verbis

A 2

con-

conferre plane negligent. Sed ne nimii sint in iisdem colligendis quoque sunt admonendi. Ponimus autem nimium usum, quem quodam modo dicere poteris abusum, hac duplici in re: primum si adeo dediti sint locorum parallelorum studio ut ad singula fere verba, etiam si facillima, loci quem tractant, ex aliis locis vbi haec verba iterum occurrent eadem colligant, etiam si nullus plane ad loci, quem habent coram oculis, interpretationem inde redundet usus; deinde si sint in verbis rariobus adeo diffidentes, ut, quamvis videant et rem et orationis nexus requirere significationem, quam Lexica suppeditant, non satis tamen habeant, donec et reliqua loca euoluerint. Evidemt lubenter fateor, nec illum improbum laborem, nec hanc nimiam diffidentiam, ipsi interpretationi omnino nocere; at superflua tamen est haec opera, cum illud nullius plane sit usus, et tempus perdat; hoc vero saepissime istud damnum adferat, ut tirones, si in locum forte incident, vbi res et orationis nexus significationem vulgariter respiciunt, aliamque illius loco ipsis suadet qua carent Lexica; exultantes atque tripudiantes ob hoc suum *eugenios*, statim in loco, quem iam volunt interpretari, applicare cupiant et quasi nouum eiusdem sensum extorquere.. Exempla sunt odiosa -

Ex his praemissis exemplis atque monitis liceat nobis usum praceptio-
nis, quam supra dedimus, tirones docere: Putamus autem eum hoc modo
optime posse describi: Transferant omnia vocabula, prout a Lexicis monen-
tur; si autem incident in loca, vbi res aut orationis nexus sensum alium requi-
rit quam ille est, quem dat significatio communis, siue ille nouus statim pateat,
siue non, euoluant loca parallela; et si prius, ut cognoscant an forte et alibi
vocabulum hoc sensu sit usurpatum, quo suam confirmare possint interpretatio-
nem; si posterius, ut ex plurimi allorum locorum collatione refiscant an sint
loca clariora ex quibus illustrando suo obscuriori aliquid lucis petere queant.
Hoc de propriis tironum in interpretando periculis dictum esto. Addam adhuc
non nihil ad monstrandum usum nostrae regulae in lectione seu collatione Com-
mentariorum. Absoluitur autem ille his duabus in rebus: si allata sunt loca
paral-

parallelia ad vocabulum vbi communi sua significatione, quae ne tironem quidem fugit, est usurpatum, ea negligantur; tanto maiori autem cum studio euoluntur atque examinentur vbi Interpres ea protulit ut nouam aliquam verbi locie explicationem fulciret. Tunc enim vel ut conuincat sese; vel ut renuat hanc nouam interpretationem admittere, carere illis non poterit tiro. Deinde, qui alter vsus est, si obtulit Commentarii auctor interpretationem non ex recepta vocum significatione natam, nec tamen nominauit loca ex quibus nouae suae significationes probabantur; a tirone euoluenda sunt, ut aequum de ea iudicium ferre queat.

§. IV.

Rariorem esse debere locorum parallelorum usum, si vocabula species, ex iis quae paragrapto precedente monui, patebit. Non idem sentiendum esse videtur circa *dictiones*, cum harum non ea ratio sit in Lexicis ac singulorum vocabulorum. Verborum significationes, et si hic ibi quaedam adhuc addi quaedam demi quaedam immutari possunt, tamen multorum Philologorum diligentia, qui operam suam contulerunt, sic sunt definitae, ut in maxima saltem parte vix meliores reddi posse videantur. Verum quod ad dictiones attinet; nis proh! dolor, parum adhuc studii est tributum, saltem illud nondum, quo effectum esset, ut habeant tirones, vnde dictiorum significationes possint petere. Usitatissima, sed pessima sane, dictiones vertendi ratio haec est; vertitur verbum ex significatione in Lexico prostante, nomen seu particula, cum verbo Φεατινο efficiens, iterum pro nativo suo sensu, nullo sensus, qui ex coniunctione verbi et nominis seu particulae oritur, habito respectu; atque inde non potest non saepe numero vnu venire, ut aut plane alienus locis inferatur sensus, aut saltem translatio oriatur infra omnem intelligentiam posita. Iudicent itaque aequi huius rei arbitrii, annon de interpretatione phrasum hebraicarum iure meritoque hanc ferre possim legem: *Omnium fere dictiorum significationes ex locis parallelis sunt definierdae.* Quod inferuerim voculam fere non im-

merito fecisse mihi videor, cum dentur utique eius generis dictiones, quae aut ex aliis locis, si non sint similia sed eadem nullam lucem accipient, aut quarum compositione, quae sola et unica significatio esse possit, per se docet. Verum enim vero quod adserui, in plurimarum dictio[n]um significatione definienda adhibenda esse loca parallela, non abs re dixisse arbitror. At de illis tamen dictio[n]ibus, quae constant verbo atque particula in primis hanc praeceptionem intelligi velim; cum quod ad alteram earum speciem, quae ex verbo atque nomine sunt compositae, rarer sit locorum parallelorum usus, quod plerumque in compositione verbi cum nomine idem maneat sensus, qui illis extra eam inest. Ex multis exemplis, quae proferre possem ut probarem, neglectum locorum parallelorum in definienda illius generis dictio[n]um significatione, interpretationi magnum inferre detrimentum, duo solum proferam, ex Gen. 5, 22. 24. 6, 9. **הַחֲלֵךְ אֶת־כְּתָב עַל־**. Prior **הַחֲלֵךְ אֶת־** ab omnibus, quod scio, Interpretibus explicatur, pietati et vitae immaculatae studuit. Aptissima vide ri posset haec interpretatio tum v. 24. cap. 5. ex cuius orationis nexu nata esse videtur, tum v. 22, et v. 6. cap. 6. sunt enim haec tria loca non tam similia quam eadem; quod si autem conferatur locus similis seu parallelus 1 Sam. 25, 15. vbi prostant verba **הַחֲלֹכְנוּ אֶת־**, tunc clarissime adparebit, ista loca non *Henochi* et *Noae* pietatem morumque integritatem commemorare, sed conuersationem qua cum Deo sint usi; quod illos scilicet crebrioribus apparatus dignos habuerit. Liceat mihi quaedam hic addere, ne dura atque coacta videatur dictorum locorum interpretatio, si dictio haec vertatur, prout eiusdem significationem ex clariori *Samuelis* loco suppeditauit. Versum 22. c. 5. verto: *Henochus, nato Methusalem vixit adhuc trecentos annos, per quos omnes familiaritas illi cum Deo intercessit — us. 24.* Tandem aliquando cum Deus iterum illi apparuisset, hominum conspectus est subtractus nec unquam posthaec visus. Si species cap. 6, v. 9. orationis nexus hanc interpretationem iterum feret: narratur enim *Noachum fuisse inter aequales virum iustum atque integrum, unde et a Deo singulari conuersatione fit dignatus.*

gnatus. Alterum exemplum, dictio כחֶב עַל Ps. 40, 8. prostans, si vertitur scribere de etc. vertitur sane vitiosissime, cum usus loquendi hinc interpretationi plane repugnet. Sexcenties occurrit in V. T. libris φραστις כחֶב עַל, sed, nisi egregie fallar, hoc triplici tantum sensu: 1) inscribere tabulis, lapidibus, libro cet. Deut. 6, 9. 27; 3. 8. Ios. 8, 32. Ier. 36, 18. 29. etc. etc. 2) ad aliquem perscribere litteras, Esr. 4, 7. 2 Chron. 30, 1. et 3) quae significatio ex proxime praecedenti nata esse videtur, praescribere alicui, 2 Reg. 22, 13. Prior sensus non quadrat in dictum Psalmi locum, nec secundus, at tertius aptissimus, si quid video, illi est. Communis autem interpretatione ex nullo simili loco potest probari; quid! quod, si natuam voculae עַל significationem attendas, ista nec ferre quidem posse videtur vulgarem explicationem; quod si enim Vates diuinus dicere voluisse, in volumine Legis scriptum est de me, dicendum ipsi fuisset. In nexum orationis optime quoque quadrare videtur noua huius φραστων interpretatione; commodissime enim et, ut videtur, verissime v. 7-9. hunc in modum poteris παραφράσειν: Cumque nullo, quocunque illud sit, sacrificiorum genere te delectari seu illud curare solere mihi notum feceris, sed sola voluntatis tuae expletione, ideo lubenter ad id animum meum applico, ut nunquam ex eodem dimittam praecepta tua, sed ut quacunque occasione mihi oblata, summa cum voluptate ea exsequi allaborem. Sufficient haec duo exempla ad monendos tirones, ne admittant facile dictio[n]is, ex verbo et particula compositae, interpretationem, si vel minima adsit suspicio, eam aliud forte quidquam posse significare, quam in fronte gerere videtur, nisi ex similius locorum collatione de sensu dictio[n]is sint facili certiores.

Nullo modo a me impetrare possum, quin etiam atque etiam exhorter tirones, ut sibi caueant ab ista παραφράσει specie, ad quam multi proh! do. Ior Interpretes in explicando illo dictio[n]um genere, circa quod, quidquid de explicandis phrasibus diximus, monitum est impingunt. Non ignoro quidem me illud vitium iam reprehendisse, cum adfirmauerim, peruersissimam dictio[n]es explican-

plicandi rationem esse hanc, si verbum et nomen seu particula singulatim quodque explicetur; verum enim vero dum nomen seu particulam extra nexus cum verbo volunt interpretari, in eo saepissime peccant, vt cum videant proprium particulae sensum, aut orationis nexui aut hypothesi, quam sorte ibi inuenire sibi videntur, seu sensui saltem quem ibi esse existimant, repugnare; rem suam sic agant, vt ex nomine siue particula sensum, quem loco subesse sibi persuaserunt, extorqueant: Hoc vt efficere possint, conferunt alios locos, quibus idem nomen eademque particula ineft, et experuntur, num haec noua sua significatio, nomini seu particulae in aliis locis exstanti possit accommodari. Si successus eorum votis respondet, vt locos quosdam inueniant, e quibus ad nouam suam nominis seu particulae significationem aliquem elicere possint sensum, nulli amplius dubitant, nomen seu particulam hac significatione vere gaudere, hisque aliis locis iam, vt suam de sensu loci, quem tractant, coniecturam stabiliant, tanquam locis parallelis vtuntur. Nihil facile liberaliori interpretationis studio magis officit quam hi tales Interpretum mores, quidquid enim e libris diuinis volunt elicere, eliciunt; cum rarissime soleat accidere vt quam tribuere volunt particulae alicui significationem, non aliquem in locum, etiam si plane alieno nexu, cumque alio verbo connexo, possint quoddam modo accommodare.

§. V.

Quem usum loca parallela verbalia in interpretatione praestent, idem et a realibus potest percipi. Supra iam, cum utriusque locorum parallelorum generis, mentionem facerem, commonui, *realium* duplarem iterum statui posse speciem, alteram, quae *notionibus* atque *propositionibus singulis*, alteram, quae *orationibus* seu *narrationibus integris* absoluatur; de vtraque inde specie mihi iam erit agendum. Vix operae pretium esse videtur monere me, cum et singulis verbis parallelismum realem tribuam, non nisi de eius generis exemplis verba facere, quae differunt verbis et consentiunt in re; hoc ipsum enim ex iis, quae §. II. commemoravi, sat clare adparcat. Ut ab illa paralleli

lissimi

hīni realis specie, quae notiones atque singulas propositiones in se continet, ordinar, primo loco hanc circa eiusdem usum praeципiendam esse arbitror regulam: Si inest loco cuidam vox, quae aut ex numero απαξλεγομενων est aut quae, et si in aliis quoque locis adsit tamen non nisi in aequo obscuris, prostat, et neutrius significatio recepta ita sit comparata, ut statim pateat, orationis nexus vix ac ne vix quidem aliam ferre posse, tunc conferendi sunt loci similes, et quodnam aliud vocabulum huius obscurioris loco sit usurpatum, cognoscendum, atque hinc obscurioris significatio aestimanda. Cum omnia fere, quae supra §. III. de conferendis locis parallelis verbalibus diximus hic quadrent, superfluum esse existimo multa latioris explicationis cauſa nunc addere. At hoc unum nequeo praetermittere ad hanc modo nominatam classem utique referenda quoque esse illa verba, quae propria quidem significatione multoties, tropica autem quadam non nisi semel veniunt, aut saltem etiam saepius obvia sint, non clarioribus tamen in locis. Multa quidem adferre possem exempla, sed ut chartae parcam unicum solum modo hic proferam, quod sufficere spero tum ad ea illustranda quae modo commonui, tum quae in ipsa proposita regula exposui. Esto autem vocabulum כבוד Ies. 4, 5. obuum. Nullo, nisi egregie fallor, alio in loco, etiam diuersissimis ceterum sensibus veniat, eo obuum est sensu hocce vocabulum, quo in hoc iesiano loco videtur esse usurpatum, scilicet quod significet locum illustrem. Hunc sensum, ut ego quidem existimo, solum in hoc loco potest ferre. Qui ipse autem, cum eodem non amplius sit usurpatum, non nisi ex locis parallelis realibus poterit fulciri. Adsunt duo quae hunc usum praestabunt, prior exstat Gen. 43, 10. vbi occurrit vocabulum זמרא; alter Ps. 22, 4. puta vocabulum תהלה. Illud dictum est de illustrioribus seu praestantioribus terrae fructibus, hoc de illustri seu glorioſo Dei habitaculo. Iam si inquiras, quae cauſa sit, cur praestantiores fructus dicti sint זמרה cantio, et Zion laudes, vix aliud quidquam poteris inuenire, nisi hoc; fructus esse indicatos eos, qui maxime apud exterios celebrarentur; et Zionem dictam esse תהלה quoniam Iudei de hoc

B

loco,

loco, utpote habitaculo Dei, maxime gloriarentur. Quidni itaque, cum propria significatio nominis כבוד ad significaciones proprias nominum et הלהת prope accedat, ex tropicis suis significationibus etiam tropus vocabuli זמרה qui dicto loco adest, possit explicari atque confirmari? Ceterum, quantum iam non verser circa interpretationem dicti loci Iesaiani, reliqua quae ad eum intelligendum deberent adhuc moneri, potero omittere.

Lex, quam supra tulumus, non valet solum de singulis verbis, sed et, mutatis mutandis, de singulis propositionibus atque opinionibus. Exempli loco sint ex ultimo versu libri Iesaiani verba וְאַשְׁם לֹא חִכּוּבָה inesse sensum continuationis, vel me non monente quisque facile animaduertet; at quid significat בְּאַשְׁם et ignis eorum? Quae sit popularis interpretatio, notius est, quam quod eam hic repetere sit necesse. Clarissime eadem demonstrat, neglectus locorum similium quantum adferat damnum. Conferatur locus similis cap. 34, 3. eiusdem libri prostans, et apparebit, quo sensu hic sit dictum בְּאַשְׁם. Non aliud inter utrumque locum interest discrimen, nisi hoc, quod in illo de re nunquam peritura sermo sit, in hoc vero duratio istius rei an brevior sit an longa plane non sit determinatum; sed hoc non impedit horum locorum parallelismum. Adparet potius id quod cap. 66. est וְעַלְהַ בְּאַשְׁם לֹא חִכּוּבָה, in altero loco c. 34, 3. esse בְּאַשְׁם. Hoc significat, ut nemo non videt, ascendet foetor ipsorum; quod illud indicet, nunquam non adscensurum esse foetorem illorum, non difficile erit demonstratu. Dictioni עלְה בְּאַשְׁם subest imago fumi, quod scilicet vapor fumi instar, sese effusat atque diffundat. Eadem phrasis iterum est adhibita Ieol 2, 20. et Amos 4, 10. — De semper duraturo interitu terrae Idumaeae Iesaias dicit c. 34, 10. nullo tempore existentum fore eius ignem, semper adscensurum esse eius fumum. Vox עַשֵּׂן pluribus in locis pro שָׁנָה igne usurpatur cf. 2 Sam. 22, 9. וְיַחַר אֲפֹו עַשֵּׂן בְּאֶפְוָה et exarxit ignis (vt ita dicam) irae eius; explicantur ita verba sequentibus totus enim versus saepius repetita vice iram Dei esse

com-

commotam commemorat. Adde Ies. 65, 5. Nah. 2, 14. Quem ad modum
Hebreai nominis שָׁנָה loco vtuntur nomine שְׁנָה, sic quoque, ob arctissimum
scilicet ignis et fumi nexionem, loco שְׁנָה dicunt שָׁנָה; v. c. Deut. 4, 11. בָּעֵר
שְׁנָה dictum est, vt indicetur, *densam nebula montem omnem intexuisse*,
quod sequentia verba קַשְׁדָּן וְעַבְלָן confirmant. v. 12. adfirmatur,
Deum locutum esse מִתְחַדֵּךְ הַאֲשָׁר ex nebula montem cingente. Ex iis ita-
que quae hucusque monuimus colligere iam licet: locum Ies. 66, 24. et qui
prostat c. 34, 3. tanquam loca similia secum posse comparari; cum posteriori
manifeste subesse videatur imago fumi, vaporem e cadaveribus adscendentem,
significans; in priori autem notio ignis claris verbis (וְאַשְׁר לֹא תִכְבַּה) sit expressa; שָׁנָה et שְׁנָה vt synonyma soleant usurpari; denique, si ad tempus
in loco cap. 34, 3. suppleatur notio perpetuae durationis, et pro vase re-
ponatur ipsa imago, *fumus*, statim pateat, non extingui ignem, et semper
adscendere fumum, unum idemque esse; cessante enim illo cessat et hic. Quae-
cum ita sint explicandus nobis videtur dictus locus sic: *Exituram esse prob-
bam illam aetatem cadavera improborum spectandi gratia, quae scilicet et
post mortem hac poena adficiuntur, ut non computrescant, sed ut veri-
bus ipsorum sat cibi suppeditent, et per longissimum temporis spatium vapor ex
iisdem adscendere possit; omnibusque inde tum temporis viuentibus sint fa-
fildio.* Fatiat huic interpretationi nexus orationis praecedentis; fuit et hoc,
Hebreis nihil visum esse terribilium, quam post mortem carere sepulcro. Ve-
rum hoc non nisi locorum parallelorum beneficio cognoscitur. —

Supereft ut non nihil adhuc de parallelismo reali orationum seu narra-
tionum integrarum addam. Deprehenditur autem haec parallelismi species
vbiunque scriptor circa unum idemque obiectum est versatus; indeque tam in
rebus historicis, quam, hocque potissimum, in orationibus de rebus quibus-
dam habitis, seu earum tractationibus. In rebus historicis rarer quidem est
hic talis usus, cum plerumque ex rerum narratarum serie factum ipsum satis
eluceat, sed tamen adest. Quoad orationes Prophetarum tanto crebrior ex-
istit.

istit. In *illis* praceptio est facillima, haec scilicet: *Si aut circa totam narrationem, aut partes eiusdem obiiciant se se quaedam difficultates, vel similes relationes vel quae de eadem re factae sunt, conferri debent.* Vtrumque ut exemplis illustrem, adferam cap. 6. Ies. et eiusdem Vatis cap. 38, 7. 8.

22. Negari nequit cap. 6. Iesiae, si quaeratur, quid sibi velit narratio hoc capite facta, esse utique e difficultioribus. Vt 5. 6 et 7. prodere quidem videntur, Vatem primae sibi factae revelationis diuinae mentionem facere, sed nullo tamem modo certissime inde effici posse videtur, scopum huius capituli esse narrationem vocationis ad capessendum munus propheticum; quod si autem conferas cap. 1. *Ieremiae*, et hoc patebit, et simul id quod arguunt supra nomina-ti versus cap. 6. Ies. confirmabitur. Quantum hoc adferat usum ad interpreta-tionem h. cap. sentient, qui illud tractant.

Quod ad alterum exemplum e cap. 38, 7. 8 et 22. attinet, clarissime inde, id, quod supra dixi, adparere existimo. Duo priores versus nihil habent difficultatis, quod si autem illis adiungatur vs. 22. ea sane non carebit. Cum enim vs. 7 et 8. signum, quod Hiskiam de veritate promissionis ipsi factae cer-tiorem reddere debebat, sit commemoratum; vs. 22. autem Hiskiae quaestio, vndenam cognoscere posset se rursus templum esse visurum? hic ultimus ver-sus vix alia ratione intelligi posse videtur, quam quod nouum quoddam signum poposcerit, ex quo cognosceret se templum rursus esse introitum. Cur au-tem illud posceret? si enim signo de sanitate recuperanda certior erat factus, quid recuperata illa impedire eum potuisset, quo minus templum ingredi ipse liceret. Si autem dicatur, sermonem esse de signo vs. 7 et 8. commemorato; iure meritoque quaeri potest, cur narratorum ordo adeo sit confusus. Omne dubium ex loco parallelo 2 Reg. 20, 8-10. exstante tolli potest. Adparet inde saepius iam commemoratum vs. 22. non novi cuiusdam signi, quod petierit His-kias, mentionem facere, sed narrationis ordine praecedere debere versum 7 et 8. Quo modo autem factum sit, ut hic noster versus sub finem narratio-ni sit adnexus, Critici est dijudicare.

De

De yſu parallelismi realis in orationibus propheticis ad eundem modum, quo de vniuerso parallelismo factum est, praecipi debet: *Si ex ipsis verbis effici nequit, cuinam temporis vel cuinam personae tribuenda sit oratio tunc conferendae sunt eiusmodi orationes, in quibus vel eaedem vel similes dictiones atque imagines occurrunt; vt pateat, qua ratione illae sint intelligendae, totaque oratio sit aestimanda.* Lubenter quidem do, plerumque in diuidicandis vaticiniis non esse necesse, vt ad parallelismum refugiatur, cum vel indicia sat clara in iisdem expressa, vel nexus orationis, cui omnium maxime tribuere soleo, ad quem vel quid respiciat orator facer, demonstrent; interim sunt tamen eius generis exempla, vbi nexus nullus est inter antecedentem et subsequentem orationem; vt et inde de tempore, ad quod spectet, et de persona, de qua sermo sit, nihil possit colligi; vel etiam talia, vbi nexus quidem clarissimus, sed loca tamen quaedam istius orationis ab sensu, quem exigit nexus, plane abhorre videtur; in his exemplis solus certe parallelismus aequus erit iudex. Quo ea iam, quae hucusque commemorauit, copiosius explicem, adferam quaedam exempla: et vt statim in posteriori adserto haeream, ut exempli loco v. 5. cap. 23. *Ieremiae.* Orationis nexus, (imprimis v. 7 et 8.) clarissime docet non alio de tempore haec posse esse dicta, nisi de eo quod sequebatur captiuitatem babylonicam; deinde non alia de persona, quam de ea, quae tunc temporis futura esset populi caput. Verum enim vero summum illum studium, quidquid illa ratione de Messia valere dicique posse videtur, etiam de Messia, siue liceat per orationis nexum siue non, interpretari, efficit, vt v. 5. dicti capituli, inuito nexu, de Messia exponi soleat. Causa fuit huius προφητειας, quod c. 11, 1. *Iesaiæ* dictiones בָּצָר מְשֻׁרְשֵ׀יו חַטָּר מִנְעָז וַיְשַׁׁדֵּב de Messia soleant intelligi, nec, vt videtur immerito, cum v. 11. huius capituli Iesaiani, vix aliam ferre posse videtur interpretationem, quam quod de persona quadam sermo sit, quae diu post captiuitatem babylonicam sit exstituta. At hic dictus locus, non is est, ex quo noster possit explicari; toto enim coelo differt vterque contextus. Si mittetur in vtroque loco omnis ipsarum persona-

rum determinatio, inter se conferri poterunt; continet enim vterque promissio-
nem de capite populi futuro, ex dauidica stirpe prouenturo. Quum autem con-
textus vulgarem interpretationem, quae personam hanc Messiam esse adfirmat,
cap. 23, 5. *Ier.* respuat, indeque plane differat a contextu cap. 11, 1. *Iesiae*,
alii loci hic erunt colligendi, quo pateat, non esse necesse ut clarissimus nexus
orationis hic negligatur. Ies. 4, 2. צָמָח יְהוָה dicitur populus e captiu-
itate redux, quod docet contextus. Zach. 3, 8. et 6, 12. *Zorobabeli* nomen
צָמָח tribuitur, vt iterum orationis nexus clarissime demonstrat. Patet ex his
variis locis nomen צָמָח non esse nomen vni personae proprium, sed de plu-
ribus sensu *pullandi* posse explicari. Efficiet itaque hoc nostro in loco colla-
tio locorum parallelorum primum hoc: non posse non alia intelligi persona,
quam Messiae, de qua Ies. 11, 1. sermo sit, etiamsi admodum similes sint vtro-
que in loco adhibitae dictiones; deinde, cum contextus nostri loci indicet per-
sonam, primo tempore post captiuitatem babyloniam illustrem, haecque vt
partim ex Zachariae locis, partim ex historia illorum temporis colligi debet, non
alia esse potest, quam *Zorobabelus*; de hoc quoque locum nostrum esse intelli-
gendum.

Vt tandem et id exemplo illustrem, quod vltimo loco adserui,
parallelisimum realem etiam usum praestare in determinandis orationum argu-
mentis, vbi nexus non sufficere videtur, vtar cap. 3. *Ioelis*. Placet interim
quaedam, vt clarius exponam quod volo, praemittere. Videtur autem mihi
hic parallelismi usus sic esse moderandus, vt ex vniuerso imaginum sive reprae-
sentationum ambitu, non solum eae imagines et representationes, quae alii
in locis iterum occurrent depromantur et in illustrationem loci, qui tractatur,
adhibeantur, sed, hocque praeprimis, vt orationis nexus atque argumentum ibi,
vbi iterum sunt usurpatae, probe attendetur. Nam qui nexus atque argumen-
ta, quibus solent venire, negligit, is non potest non grauiter saepius labi, cum
quem sibi semel persuasit vocabuli, dictio-nis, imaginis vel representationis sen-
sum, vbique certe locorum applicare studebit. Hoc accidit in eo exemplo, quod

iam

iam copiosius exponere animus est. Omnes fere interpretes christiani, in hoc vaticinio illustrando, fundamenti loco posuerunt interpretationem Petrinam Act. 2, 16-21. commemoratam, quam, vt ex sequentibus forte adparebit, dicere possis accommodationem. Totum argumentum *Ioelis* hoc est: Adnuntiat Iudeis mox secuturum excidium, quo a Chaldaeis adfligerentur; grauitatem illius depingit, et quae sunt reliqua. In solatium proborum addit promissa futurae restitutionis, et vindictae ab hostibus eorum petenda. His minis atque promissis inserta legitur illustris illa περιουσίη, quam, vt dixi, omnes fere christiani interpretes de effusione Sp. S. sub initium temporis N. T. secturae, solent interpretari. Ut iam taceam admodum difficilem videri harum materialium nexum, si ea pars ad dictum modum explicetur, hoc enim postea vrgebo; iplas antem notiones ex Vatum cogitandi dicendique modo hanc explicationem ferre posse nego atque pernego. Notetur itaque in primis duplex illa ratio, (reliquae enim huius nominis significations huc non pertinent,) ad quam Vates diuini vocabulum רוח solent adhibere; et primo quidem loco si de toto populo, deinde vero, si de se ipsis verba faciant. Si de toto populo seu potioriter illius parte dicta sit *effusio sive immisso spiritus*, tunc רוח semper verendum, *animus*; hacque dupli ratione usurpatur: vel scilicet de animo *peruerso* seu *stupido*, iisque animi affectibus quibus decipientur homines, רוח שׁוּעַת Ief. 19, 14. et רוח תְּרִמְתָּה Ief. 29, 10. cum stuporem peruersumque agendi rationem, qua a Deo puniantur, indicare volunt; vel de *animo novo*, quem ipsis aut Deus indat, aut cui ipsi operam dare debeant. Ad posterius referendus est locus Ezech. 18, 31. ad prius vero, quod et in primis hic est vrgendum, haec: Ief. 32, 15. עדר יְשֻׁרָה עַלְנוּ רוח מְטוּךְ; a v. 9-14. securis Iudeis omnimodus terrae suae interitus a Chaldaeis illis infligendus est adnuntiatus; v. 15. durationis, aut si dicere malis cessationis, tempus est definitum: ad verbum, *donec effundatur super nos spiritus ex alto*; quid hoc sibi vult, nisi: donec a Deo plane inderi atque immutati, et eo animus sumus affecti, quem ipse a nobis reposcit; donec mores actionesque nostras ad eius

eius voluntatem legesque componamus; hanc interpretationem posterius membrum v. 15. et versus sequentes suppeditant. Ezech. 11, 19. וּרוּחַ הָדָשָׁה וְאַתְּ בְּקָרְבָּכֶם, hoc in loco nexus orationis clarissime iterum demonstrat, de nouis animi affectibus qui a Deo ipsis calamitate babylonica instillentur, sermonem esse. Cap. 36, versus 26 et 27. hic quoque sunt referendi, quum in illis horum nouorum animi affectuum iterum mentio sit facta, eorumque effectus in posteriori membro v. 27. clarissime sint descripti. Cap. 38, 29. huius Vatis dicitur אַתְּ רֹוחַ עַל וְגַם, אשר שִׁפְךָתִי אַתְּ רֹוחַ עַל, promittitur ibi a Deo, se Iudeos, cum impertierit ipsis spiritum suum, non amplius esse quasi ignoraturum.

Liceat nobis iam ex iis quae hucusque monuimus quaedam colligere: Adparebit *primum* phrases נָהָן רֹוחַ שִׁפְךָתִי רֹוחַ, de Deo usurpatas stylo Vatum non nisi largitionem atque instillationem, eorum animi affectuum, qui sunt ut Deus eos cupit, designare; *deinde* tales, animi affectus dici fundamentum atque causam omnis felicitatis; indeque explicandum esse, quod eorum commemoratio adiuncta esse soleat promissae restitutioni; per horum enim emendationem simul tollitur causa cur Deus populum suum puniat.

Iam si vero noster textus cum exemplis, quae attulimus comparetur, palam fiet etiam in nostro loco, phrasin אַתְּ רֹוחַ אשר nihil aliud significare, quam largitionem nouorum animi affectuum, quos Deus ipsis suppeditatus sit. Maxima enim est inter nostrum et parallelos locos, conuenientia. In omnibus agitur de calamitate babylonica; in omnibus quoque promissio datur futurae restitutionis; et utrumque simillimo modo, ut adeo Ies. 32, 19. sublatio hostium, quae cap. 4. Ioclis copiose est exposita, commemorata sit; cur itaque non haec orationis pars, quae cap. 3. Vatis nostri continetur, eundem in modum explicanda esset, quo debent explicari supra allata loca? Quid impedit, quominus Nostrum hic, Vatibus admodum solemnem illam repraesentationem, adhibuisse dicamus? Dices forte sequentia verba ob-

sunt

sunt: sed facilis erit responsio. Numne Act. 2. omnes christiani vaticinati perhibentur? minime; de solis enim Apostolis ibi agitur. Ergo, cum id de Iudeis reducibus etiam dici nequeat, haec verba non proprie sed improprie usurpata esse confiteri fas est. Nec erit difficile, qui iisdem subdit sensus, explicare. Supra dixi Vates diuinos vocabulo רוח etiam de se uti solere. Dabo nonnulla huius usus exempla Ies. 61, 1. Ezech. 11, 5 et 24. Prophetae de se ipsis vel adparitionibus sibi factis utuntur vocabulo רוח. Harum adparitionum effectus erat praedicatio seu patefactio rerum illis a Deo reuelatarum; quae praedicatio verbo נבואה designabatur. Patet inde cur nostro in loco effectus futurae effusionis spiritus diuini, tanquam donum propheticum quod omnibus detur, sit descriptus. Quum scilicet noster populo promisisset largitionem spiritus diuini et iam in eo esset ut effectus eiusdem vellet describere, pro eo quod diceret, istos homines locuturos esse, quae Deo grata acceptaque forent, (Quod scilicet tanquam partem cultus numinis pro toto posuit,) usus est verbo נבואה, sine dubio ex solemani illa representatione, quod נבואה diuinam voluntatem consiliaque aliis ex reuelationibus numinis adiunctantibus, praesentia spiritus diuini tribuatur; et quum Iudeis caussam τε, scilicet largitionem spiritus diuini sit pollicitus Noster, at alio sensu, eo scilicet quem supra enucleauimus, loco ut effectum huius largitionis ad sensum quem hic habet nomen רוח descripsit, ad eum accommodauerit, quem alter usus huius nominis, si nimis sermo sit de Prophetis, secum fert. At probabilius mihi adhuc videtur, τε et dictiones נבואה ac חלומות ac רוח pro synonymis reputare τε, שפך רוח, cum inter se non nisi ut caussa et effectus differant; arguit enim hoc vs. 2. ubi, cum nominentur serui et ancillae, simpliciter dictio שפך רוח sit repetita. Commemoratio filiorum et filiarum, seruum et iuuenium, seruorum et ancillarum, exprimit, quod tironum caussa moneo, vniuersalitatem; omnibus itaque, omnis aetatis atque ordinis hominibus hi novi animi affectus, quibus Deo grati redderentur, suamque confirmare possent felicitatem, promittuntur.

C

Clarum

Clarum iam fecisse mihi videor, quo modo ex meritis representationibus, quibus Vates diuini vti solent, prior pars huius difficultioris capitatis explicanda sit; restat vt idem et de v. 3 et 4. h. cap. moneam. Innumeris fere vicibus, si omnimoda terrae cuiusdam vastatio describitur, vti solent Prophetae ea representatione, quod dicant, et terram et eidem imminens coelum vastatum iri; vt e multis exemplis vnicum modo adferam, nominabo locum Ies. 34, 4. nec non versus sequentes usque ad 14. in illo enim *coeli* regionis Idumaeae, in sequentibus *hominum, agri, urbium* atque *palatiorum* interitus, more quem et Noster et reliqui Vates sunt secuti, describitur; ex usitatissima itaque hac representatione etiam dicti versus explicari poterunt; nec quidquam amplius esse existimamus quod hanc nostram interpretationem, quam exempli loco prozuli, ut usum parallelismi realis in reperiundis argumentis capitum demonstrarem, premat.

§. VI.

Accedamus iam ad docendas cautiones, quae in *delectu* locorum parallelorum obseruandae sunt. Dissertationis §. I. triplicis iam eorum generis mentionem feci, *proximorum* scilicet, *minus propinquorum* et *remotiorum*, quem ad modum in N. T. soleant aestimari; de qua tripartita diuisione qui plura scire cupit adeat Summum SEMLERVM in *Observationibus* ad WETSTENII libellos ad Crisin atque Interpretationem N. T. p. 126 sq. In dicta illa spho simul mouui hanc *τερχοτοπιαν* etiam ad V. T. posse applicari; quod hac ratione optime fieri poterit, si *proximorum* nomine intelligantur non solum scripta vnius eiusdemque Auctoris sed omnes ii libri, qui ad unam classem debent referri, v. c: omnes illi Prophetae qui ante captiuitatem babyloniam scripsérunt, vel durante ea; porro tres ultimi ita dictorum XII. minorum Prophetarum qui post eam vaticinati sunt, cet. *minus propinquorum* omnes libri V. T. nulla habita differentiis ratione, *Genesis* c. c. et *Iobus*; tandem vero *remotiorum* titulo, scripta *chaldaica, syriaca, arabica* cet. quibus addere poteris libros Noui Testamenti et ex his inprimis, *Euangelia* quae historiam

LES V

IESV CHRISTI referunt. De his variis generibus liceat nobis omnino hanc praecipere regulam, quam modo commemorata diuisio suadet: *Proximi praeferantur minus propinquis; hi remotioribus.* Non est certe cur verbum modo huius regulae probandae caussa adferam; ecquis enim non dabit, facilius fuisse ut aliae classis scriptor verbum quoddam, dictiōnem sententiamue alio sensu usurpauerit, quam vel idem scriptor vel aliis, cum hoc ad vnum ordinem referendus, p̄eprimis cum diuersas tractent materias, temporumque suorum status non parum immutatus esse soleat? nec minus *proximos et minus propinquos* p̄eferendos esse *remotioribus*, cum, quanta etiam sit dialectorum orientalium conuenientia, magnum tamen supersit inter illas discrimen. Quodam modo supercedere me posse existimo accuratione explanatione huius regulac, cum nemo non videat, eam hoc sibi velle: si occurrat vocabulum, dictio, sententiae in scriptore quodam, cuius interpretandi ratio non ex nexus orationis statim pateat, tunc primo loco examinandum esse, annon idem vocabulum, dictio atque sententia aliis in locis vel eiusdem scriptoris, vel eiusmodi saltem qui cum ipso ad vnum classem referendus est, iterum prostat; si non prostat conferendos esse *minus propinquos*; et si et hi nullum usum praestent tunc deum adeudos esse *remotiores*. At sunt tamen nonnulla, quae hic negligere nefas foret. Monemus itaque primo loco non nimis extendendam esse hanc nostram regulam quod ad *primum et secundum* dictorum generum. Raro enim inter illa genera aliquod discrimen locum habere, et fere non nisi certis in casibus, lubenter concedo. Sic v. c. quod ad singula verba, atque dictiones attinet, non possum non rarissime modo aliquem agnoscere usum huius regulac, tum demum scilicet, si vocabulo eidem seu dictiōni alicui a scriptore quodam singularis aliqua tribui soleat significatio seu sensus, quo caret apud ceteros. Ut exemplo utar adferam nomen כָּסִיל proprię quidem hominem stupidum cf. Ps. 49, 11. designans; at in *Proverbiis SALOMONIS* saepissime hominem, qui omni caret legum diuinarum scientia, sibi soli relictum; sic quoque oppositum כָּסִיל est homo diuina p̄aecepta edocetus. Verum enim vero

quod ad *imagines* atque *sententias* attinet, non idem erit omnino statuendum, si nimur eas excipias, quae in lingua ciuitatis iure sunt donatae. Intelligo autem eas *imagines* atque *sententias*, quae pro mutato scriptorum statu, si a diuersarum classium scriptoribus sunt usurpatae et ad varia obiecta, pro vnius cuiusque materia, accommodatae, debent explicari. Ut, quod volo, copiosius exponam, subiungam statim admodum illustre huius rei exemplum ex cap. 3, v. 1. *Malach.* coll. cum cap. 40, 3. *Iesiae* petitum. Praeprimis dignum videatur hocce exemplum, cum et clarissimum sit et eius simul generis, quod (qua in re maximum adesse solet discrimen scriptorum atque Vatum diuinorum qui ante et post captiuitatem babyloniam vixerunt, docuerunt, scripserunt,) talem fstat representationem, quae mutationis temporibus est mutata. Ut pote magnum in diiudicandis vaticiniis an de Messia an de alia quadam illustri persona V. T. sermo sit, subsidium semper mihi visa est attentio ad temporis periodum, ad quam Vatum munus erat restrictum, quo tempore vixerint, et num officium ex superstibus illorum libris anterioribus limitibus circumscriptum an extensum magis aestimandum sit. Tempus quo vixerint ante omnia obseruandum esse arbitror, cum, quod vix aliter fieri potuit, circa illam temporis periodum quae a suo aeuo usque ad proxime futuram mutationem, quam populi status experiebatur, sua orationum argumenta versarentur; indeque quae historia duce in his orationibus de personis in isto temporis circulo viuentibus seu rebus in eodem peractis per stylum propheticum possunt explicari, etiam de personis aliae periodi seu rebus multo senioribus non debeant explicari. Quod iam ad exempla supra commemorata attinet, petita illa sunt ex scriptis diuersarum periodorum. *Iesiae* officium erat fata populi sui a suo aeuo usque ad finem captiuitatis babylonicae, quae proxima maxime memorabilis status mutatio fuit, describere; *Malachiae* iterum a suo aeuo, primo scilicet tempore post dictam captiuitatem, usque ad matiuitatem CHRISTI, seu finem reipublicae iudaicae. In hoc itaque ut in mox praecedentibus duobus *Haggaeo* atque *Zacharia* quidquid ex Euangeliorum historia de CHRISTO suisque valere potest, non poterit non

de

de illo explicari, cum illorum temporis periodus, de qua vaticinia ediderunt, aeum Christi comprehendat; nec tam memorabilis persona ante Christi tempus a captiuitatis babylonicae fine exstisset relatum legamus, cui quidquid de Christo in his Prophetis intelligimus, tribui possit. Certissime itaque persuasum habemus in verbis (*Mal. 3, 1.*) נָתַן שְׁלֹחַ מֶלֶךְ וּפְנֵסָה דָּרָךְ לְפָנָיו mentionem fieri *Iohannis Baptista* nec ullo modo dubitamus ex historia euangelica ea interpretari. Verum enim vero num ex hoc loco explicandus est, locus ut videtur parallelus Ies. 40, 3.? Nisi egregie fallor, minime. Iesaias in hoc capite, (etsi aliis in locis sui libri vaticinatum eum esse de Messia ipse agnoscam,) si quid video, de fine captiuitatis babylonicae in prioribus versibus verba fecit; nec forte vertenda sunt verba קֹול קוֹרִיא vox clamantis sed vox clamans in deserto cet. quamuis, etiam si vertantur vox clamantis hoc nostrae interpretationi nihil officiat. Si explicandum est hoc caput de fine captiuitatis babylonicae et populi in terram iudaicam reductione, nec patitur totum argumentum huius capituli illud alia ratione exponi, cur hoc in loco mentio facta eset *Iohannis Baptista*? Nonne probabilius est, esse hic orationem figuratam, qua Deus in terram babyloniam populi sui reducendi caussa iter faciens representatur, Vatemque dicere iam mandata esse data de viis repurgandis; quod nihil aliud sibi vult, quam Deum iam redditum illorum parasse? Solent enim Prophetae de rebus futuris verba facere tanquam de praesentibus. Adparere iam existimo neque hos locos secum posse conferre, neque me sine causa dixisse locos parallelos proximos differre a minus propinquos.

Proximos autem et *minus propinquos* anteponendos esse *remotioribus* non difficile erit probatur. *Remotiorum* nomine comprehendimus, ut supra iam commemoratum est, scripta *chaldaica*, *syriaca*, *arabica* cet. Ut descriptionem eius usus quem haec scripta praestant breuiter comprehendam, cerni iste mihi videtur, primo loco quod confirmatio significationis vocabuli seu dictioonis, quae ex nexus orationis hebraicae est coniecta, inde peti possit; deinde quod, si ex hebraica lingua vocabuli cuiusdam significatio determinari nequit, hae

orientales dialecti consuli queant, et quo sensu illud in iisdem veniat, examinari. Si his limitibus semper circumscriptus esset usus dialectorum, imprimis arabicae, certe non adeo peccatum esset in abuso dialectorum, quod, ut dixi, de arabica tantum intellectum volo, nam, quod scio, quoad reliquas magis peccatum est in neglegitu. Putamus autem verissime nos monuisse: locos parallelos *remotiores* postponendos esse *proximis* et *minus propinquis*, cum magna semper sit inter has vicinas dialectos differentia, et saepius verba quoad litteras sibi simillima in alia dialecto plane diuersa veniant significacione, v. c. verbum נָכַשׁ Hebraicis valet *oblitus est*, Chaldaicis *inuenit*. Iam si quis ex chaldaica dialecto omnia verba hebraica vellet interpretari, verissima notio *oblivionis*, quae in hebraica dialecto huic verbo subest, obliteraretur, et locorum, in quibus prostat, pessima interpretatio cogeretur. At quid faciunt qui quodcunque verbum in dialecto arabica, alia significacione obuium, ad exemplum usus arabici volunt accommodare; qui eam significacionem, quam suppeditant et nexus orationis et imprimis loci paralleli eliminare, et non nisi arabicam veram agnoscere volunt? annon per se, etiam si exempla id non docerent, posset percipi, saepenumero non posse non peccari? Sed ne quis existimet me usum dialectorum in explicandis verbis hebraicis velle negare, breuiter addam hoc: Adfirmare me quidem, rarius esse debere studium, quod impenditur in locos parallelos *remotiores*, et tum demum adhibendum esse si ex *proximis* et *minus propinquis* nihil certi pro verborum significacione promi possit; interim tamen magnum usum, quem haec scripta praestant minime negare; hoc autem optare ut orientalium linguarum periti, his dialectis non in damnum linguae hebraicae vti solerent, quae scilicet ex ipsa hebraica peti possunt et debent negligerent, arabicosque sensus inuehere vbique vellent; deinde ut non unice fere in explicandis vocabulis operam suam collocarent, sed et explicacioni phrasium, imaginum atque repraesentandi rationum aliquid tribuerent, hoc ipsum enim beneficium non minus quam illud circa singula verba dialecti vicinae nobis conferunt.

Quod

Quod tandem ad locos parallelos *remotiores* retulerim ipsum Nouum Testamentum nemo facile improbat, nisi qui vel Messiam in toto V. T. ignorant, vel qui eum omnibus in paginis inuenire sibi videntur; illi enim Nouum Testamentum in interpretatione veteris adhiberi posse negabunt; hi vero *proximis* potius quam *remotioribus* locis parallelis adnumerandum esse existimabunt. Ut media via, hoc in loco etiam vnicce vera, incedam, de vſu N. T. in interpretatione Vet. hoc soleo suspicari: *Si vel verba orationis et eiusdem nexus vel etiam illa ſola, non, niſi admodum coacte, de illuſtri perſona ante Chriſti tempus nec de ſtatu Iudeorum ante haec tempora poſſunt explicari, et hiſtoria euangelica quadrat omnino in talem propheti-cam orationem, tum utique confeſendam eſſe Nouum Teſtamentum, et ex illo vaticinium illuſtrandum.* Existimem itaque his arctioribus limitibus circumſcribendum eſſe vſum N. T. in explicando vetere; nec ordinem eſſe inuertendum ſic, vt quae loca V. T. in N. C H R I S T O ſeu eiusdem aeuo tribuantur et in illum accommodentur, propter has accommodations in textu hebraico ad iſtam rationem explicitur. Cur enim non licet ſic arbitrari, quum a nemine fere hoc nostro tempore negetur, permultas dari in N. T. ex Vet. accommodations verborum, ſententiarum, orationum?

§. VII.

Reſeat vt breuiter adhuc commemorem quid opus ſit factu ſi plura, ex que diuersiſſima, ſeſe offerant loca parallela; vnde cognosci poſſit, quaenam loca ex pluribus variis ad illuſtrandum eum, qui tractatur, ſeligi debeant? Aut quibus ex signis poſſit percipi ſimilem locum in alterius interpretationem pro fundamento eſſe ponendum? Respondeo res optime confici poterit ex duobus illis exemplis quae in ipſa diſputatione adduxi, ſcilicet ex Ps. 40, 8. (pag. 7.) et ex Mal. 3, 1. p. 20. Quod ad prius: vnde cognosci poſſit ſi variis generis adſint loca parallela, quae ex iisdem debeant ſeligi, aptiſſimam eſſe arbitror diſionem. **ל ע ב כ ת ב**. Triplicem huius *ęgarew* ſignificationem commemo-
ra-
ui,

ui, inscribere cui rei, perscribere ad aliquem, et praescribere cui. Iam si quis quaerat, vndenam pateat hanc dictiōnē in dicto loco non vertendam esse *perscriptum est ad me sed praescriptum est mihi?* primam enim significatiōnē hic locum habere non posse, vel me non monente, nemo non videt; facilis erit responsio: si attendatur totus orationis nexus multo faciliorem minus-ue coactū nasci sensum, si vertatur: applicor me ut expleam leges *mihi praescriptas*, quam *ad me perscriptas*; deinde, dici quidem *litteras* ad aliquem perscribere, sed non *leges*; tandem locum 2 Reg. 22, 13. etiam quoad reliqua verba proprius ad nostrum accedere, quam loca, quae reliquias significationes sīstunt. Doceat hocce exemplum, quod, *animo a praeiudicatis opinionibus libero attendendas esse negisces*, regula sit, quae semper tutissime in deleitu locorum parallelorum obseruari queat. Idem quoque de altero dubio quod moueri potest, num locus similis pro parallelo sit habendus nec ne? statuendum erit. Quo stem promissis vel duo verba illustrationis caussā de loco Mal. 3, 1. coll. cum Cap. 40, 3. Iesaiæ addam. Negari nequit aliquam adesse similitudinem inter hos locos, et quod verba attinet etiam secum eos posse conferri, cum in utroque illorum viarum repurgatio h. e. praeparatio ad aduentum Domini sit quasi mandata; at si iam quaeratur, num vñus ex altero omnino possit explicari? nego atque pernego, diuersas enim tractant hi scriptores diuini materias, *negisces* sunt mutatae, ideoque pro rerum natura temporumque de quibus verba faciunt ratione interpretatio cuiusque horum locorum moderanda.

ORNA-

ORNATISSIMO DOCTISSIMO QVE
R E S P O N D E N T I

S. D.

P R A E S E S.

Trado tibi iam, AMICISSIME STELLWAGENI *disputationem*, quam, et si praे multis aliis polleres viribus proprio Marte eam elaborare, mibi tamen soli voluisti relinquere, quo, quod TIBI adbuc relinquum esset temporis academicī, tum p̄aelectionibus doctorum TVORVM tum lectiōni librorum posses tribuere. Opto ut TE huius consilii non poeniteat, et si forte sint qui optent ut illud nunquam iniesses, quibus scilicet mea omnia esse soleant inuisia, hoc mea causa nibil refert. Satis babeo quod certo persuasus esse possum, nullum TE damnum inde esse facturum, quod liberiori animo de plurim locorum biblicorum interpretandi ratione sententiam meam tulerim. Id ipsum autem non ex pruritu nouatiendi a me factum esse, testabitur, vt ego quidem existimo, ratio quam in tractandis istis locis sum secutus. Nemini illas meas interpretationes obtrudam, interim nec ab omni veritatis specie remotae mihi videntur. Nullus dubito debere hoc quemque bonum et Deo, summo virium largitori, et suae integritati ut si illi occasio detur, de quibusdam rebus cum illarum peritis differendi,

D

non

non alia ratione differat, quam veritatis sensus impellit, quo aliis
detur occasio eiusmodi Observuationes explorandi; atque ut aut il-
larum auctor meliora edoceatur, aut ipse alios meliora edocere
possit. Habes hic OPTIME STELLWAGENI cussas cur aliquan-
tulum liberius in hac scriptione de variis locis iudicauerim. TV
ipse si quid forte speciosus magis quam verius a me hic ibi di-
ctum sit poteris discernere. Semper enim, ex quo TE propius no-
scere mihi contigit, TVI ingenii alacritatem atque acumen, cuius
multa sane eaque euidentissima specimina mibi dedisti, sum mira-
tus. O! TE felicem, quod non eorum bonorum ingeniorum mores
sis sectatus, qui cum sciant bona indole se esse praeditos, omnem
diligentiam, quam ad litterarum studium conferre debebant, abi-
ciunt. Maxime laudabilem potius diligentiam omnibus TVIS do-
ctoribus probasti, singularemque ideo illorum TIBI conciliasti bene-
volentiam. In morum probitate etiam nulli facile cessisti. Gra-
tulor itaque Maxime Reuerendo Patri TVO quod, quam in TE
formando operam collocauit, iam lactari, nunquam vero impendii
in TVA studia facti Eum poenitere possit. Cumque iam in eo
sis, vt in patriam reuertaris, hoc unum TE moneo ut eum ani-
mum, quo hucusque fuisti affectus, nunquam amittas. Hoc si fe-
ceris ego quidem plane non dubito summum Numen omnibus
TVIS coeptis adfuturum esse. Vale, et si merear, me amare per-
ge. In Reg. Frid. a. d. 12. Aug. 1769.

STELL-



OVB STELLWAGENIO,
IVVENI PRAENOBILISSIMO ET DOCTISSIMO,
AMICO SVO,

S. P. D.

M. LUDOVICVS MARTINVS TRAEGER.

*Quod me ad publicum colloquium iuuitas, agnosco humanitatem TVAM.
Assentio autem voluntati TVAE eo libentius, quo magis, ex quo TE, quae
quis sis, pernoui, iam dudum vero noui, semper TE fuisse in eorum numero
intellexi, quales exoptari iuuenes atque prae omnibus amari ab optimo quo-
que videmus. Namque ingenii praestantiam, diligentiam, quae, quemad-
modum ingenium, in litteris valet plurimum, elegantiam morum, et quid-
quid dici honorifice de theologiae cultore potest, boni, qui aliquam TVI no-
titiam habent, omnes TIBI gratulantur. Neque hanc TVAM indolem di-
sputatio negat, quam velut eruditio specimen, exhibet. Quae quidem
mihi maxime probatur propterea, quod insunt stabiles cautiones atque
praecepta, receptis meliora, aliena ab iis, quae infructuosa et puerilia se-
stari in hoc negotio plurimi solent: usu enim, quae expetenda probabilis-
que sit, omnis metienda cognitio est. Cum itaque hac laudabili voluntate
erga nostra studia sis, ex animo TIBI precanda est opportunitas, ea, quae
ita didicisti, mox communicandi cum aliis, iisque honores, qui amplissimi,
confecto studiorum curriculo, decerni possunt. Sed quaeris istam occasio-
nem, faustis omnibus, in patria. Itaque in amicum congressum tuum
et colloquium haud potero venire in posterum; quod, quoniam, ut sis, TE
amo, aegre feram. Leuabis dolorem, cum mei nunquam amittes memo-
riam, meque, ut adhuc amasti, ita semper amabis. Vale, CARISSIME, et
res tuas per omnem vitam age feliciter! Halae d. XII. Aug.
clo I^o CCLXVIII.*

AMI-

AMICISSIMO STELLWAGENIO SVO

S. P. D.
DANIEL RIECKEN.

Etsi secundum aureum illud Hesiodi carmen notissimum.

Tῆς ἀργῆς ἴδεωτα θεού προπάρεσθεν ἔθηκαν
Ἄθανάτοι, μακρὸς δὲ καὶ ὕψιος οὐμός ἐπ' αὐτὸν
Καὶ τραχὺς τὸ πρῶτον.

Tu tamen amice svavissime unus ex multis non deterritus haccce va-
tis descriptione, viam ad eam perducentem ingressus es, semelque ingressa
non aberrasti, sed omnibus feliciter impedimentis, eam tibi occidenti-
bus, subactis, eo usque in ea peruenisti, ut canere quoque posses:

Ἐπὴν δὲ εἰς ἄκρου ἤκηται

Πριῶν δέ πειτο πέλει, χαλεπηπερ ἐσυσα.

Quae quidem re factum est, ut te tuis non solum doctribus commendares: verum etiam mihi omnibusque, quibus te penitus nosse contigit, exemplum praeberes omnium imitatione dignissimum. *Sive enim tuam* diligentiam tuumque ingenium atque enatam inde eruditionem solidam, *sive morum probitatem, suavitatem candoremque speciem:* tu omnes, iisdem tecum litteris operam dantes, nisi post te reliquisti; nemini tamen fuisti secundus. *Tot tantisque igitur virtutibus ornatus cum in patriam* reuertii mediteris: non possum quin tibi anteā, quam ad patrios lares salutandos, parentesque et amicos tuos amplectendos properas, pro immumeris amoris in me tui speciminibus meritas persoluam gratias, et Deum T. O. M. supplex adorem, ut te saluum atque incolunem deducat dominum. *Vale amice svavissime nec desine,* me absentem eodem prosequi amore, quo amplexus es praesentem. *De me vero tibi quaeso per-* suasum habeas, nullum mihi fore diem cariorem, quam quo te iterum familiariter uti mihi licebit.

HEN-

HENRICVS MATTHIAS ORTGIESE
STELLWAGENIO SVO

Quamquam et eruditio singularis TVA, SVAVISSIME STELLWAGENI,
et prouincia, quam in me lubens suscepit dissidentis, mihi occasionem praec-
beant, iure quodam meo in doctrinae TVAE laudes excurrendi: tamen, ne
nimis arroganter, quod viris tantummodo laudatis licet. in me transferre
videar, de hoc dissidentium iure decedere, fas esse puto. Hoc potius agam,
ut, qualis inter nos amicitiae fuerit ratio, innoteſcat. Ea igitur non ar-
gento, neque auro, (quibus vulgi continetur amicitia, plumbeis fone relin-
quenda hominibus), fuit superstructa, sed, quibus vera absolutitur virtuti-
bus, humanitate, constantia, fide. O utinam mihi liceret, TECVM, AMI-
CORVM OPTIME, sine intercedente versari! Sed cum ea sit rerum hu-
manarum facies, atque conditio, ut carissima quaeque nobis praeter spem
atque opinionem eripiantur: nihil mihi reliquum est, quam ut redditum in
patriam, quem meditaris, precer auspiciatissimum; meque semper fauori
atque amicitiae TVAE habeas commendatissimum, vehementer etiam atque
etiam rogem. Cacterum Vale, atque res TVAS age omnes ex voto felici-
ter! Dabam Halae in Acad. Frid. d. XII. Aug. clo IO cclxviii.

E

PRAE-

PRAENOBISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. P. D.

CAROLVS GVILIELMVS SCHVLER, Pom.

OPPONENTS.

Nihil omnino mihi accidere potuisset acceptius, quam TVARVM ingenii facultatum verum esse testem. Ipsae eximiae animi vitaeque TVAE virtutes, et illi, qui similis hac mecum delectantur fortuna, me non sine ratione ita sentire testantur: hoc esse felix faustumque tempus. Multis iisque pluribus illas virtutes et mentis TVAE splendorem, sicuti easdem singulas, enarrare possent, nisi simul eo ipso illarum virtutum fere maximam, praeclarem, puto, modestiam TIBI abnegasse viderer. Attamen non possum non, quin imprimis assiduam illam in perdiscendis, quas elegeras TIBI collendas, scientiis grauiissimis diligentiam, cuius perfectum exemplar huc usque omnibus praebuisti et ingeniam animi integratatem, optimam illam hominis et amici notam, quae mihi inter alios virtutes clariori luce in TE fulgere visa est, admirer et huic me maxime obstrictum profitear. Deus O. M. corroboret omnia TVA ardentissima virtutis studia et nunquam occasiones et media deneget, quibus illa se prodere et felicissimos suos effetus ostendere possint. Quomodo mihi gratulabor, si amicam mentem meique memoriam mihi seruaueris: ex mea saltim parte talem non impervias et nullo tempore, nullo irruentis fortunae impetu, labefactam spondeo. Vale. Dab. Halae d. XII. Augusti MDCC LXIX.



DA A 6630

ULB Halle
002.934.914

3



vd 18

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

Inches
Centimetres

19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1
0



DE

VSV HERMENEVTICO
LOCORVM PARALLELORVM

QVI EXEMPLIS EX V. T. PETITIS

ILLVSTRATVR.

EX AVCTORITATE

AMPLISSIMORVM PHILOSOPHORVM IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

GEO. IOAN. LVDOV. VOGEL A. M.

AMPLISS. PHILOSPH. ORD. ADIVNCTO

A. D. XIV. M. AVGVSTI CCCCCCLXIX.

FVBLICE DISPVTABIT

CHRISTIANVS GVILIELMVS STELLWAGEN

FRISO - ORIENTALIS.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

